

runt. Quibus opinionibus mille circiter annorum spatio a vero aberrasse mihi videntur sua magis quam scholiastae culpa. Hunc enim ab omni fraudis suspicione sua ipsius verba liberant: καὶ ἔοικε τὸ τῆς ἱστορίας ἤκειν ἐπὶ πολλούς, quibus non antiquam Atticorum, sed vulgarem suorum temporum poesin indigitavit, quam omnis dicendi narrandique ratio in his versibus tam manifeste prodit, ut neminem in hoc poetarum genere versatum fallere possit. Itaque versus illi sic scribendi videntur, admissa aliquot in locis ancipiti vocabulum α et ι mensura:

Ἄει δ' ὄρων τί γ' ὄξυ ἦν, κεί τυφλὸς ἦν.
 θυσίας ἀπαρχὰς γὰρ κρέας ἐπέμπομεν
 πατρί, περισσὸν ὤμον, ἔκκριτον γέρας.
 τὸ δὴ γε συγκόψαντες, οὐ μεμνημένοι,
 λήσειν δοκοῦντες, ἀντὶ τοῦ κεκομμένου
 ἐπέμψαμεν βόειον· ὁ δὲ λαβὼν χερὶ
 ἔγνω παφήσας, εἶπέ τ' ἐκ θυμοῦ τάδε·
 τίς μοι τόδ' ἀντ' ὤμοιο⁸⁾ μισητὸν κρέας
 πέμπων; γέλωτα δὴ με ποιοῦνται κόροι
 θύοντες ὕβρει· τυφλός, οὗ τοι γνώσεται,
 οὔτω λέγοντες. ὦ θεοί, μαρτύρομαι
 ἐγὼ τὰδ' ὑμᾶς, καὶ κατεύχομαι κακὰ
 αὐτοῖσιν, αὐτοὺς τῶνδε δῖς τόσα σχέθειν⁹⁾.
 χαλκῶ δὲ μαρμαίροντες ἀλλήλων χροῶ
 σφάζοιεν ἀμφὶ κτήμασιν βασιλικοῖς.

DE SCENA FABULAE.

Scena est in Colono equestri, Κολωνῶ ἱππίῳ (§. 1.), pago Attico tribus Antiochidis, qui multorum deorum religione sacer fuit (§. 2.), ab Athenis, quarum turres e scena conspici fingitur (v. 14 sq. 24.), decem stadia remoto (§. 3.). In propinquo (v. 16.) lucus Furiarum est, in pago illo situs (§. 4.), a mortalibus non calcatus, nedum habitatus (v. 39 sq.), lauru, olea vitibusque consitus, et lusciniarum cantu personans (v. 16—18.); ante eum rudium saxorum

8) ἀντ' ὤμοιο] Scripturae leviter corruptae ἀντόμοιον emendationem facillimam mireris ab nemine esse factam ex Scholiastae verbis, πέμπειν ἕξ ἐκάστου ἱερείου μοῖραν τὸν ὤμον. Triclinii interpolationem ἀντόμοια, vocabulum ab nemine unquam usurpatum, bona fide propagarunt lexicographi nostri. DINDORF.

9) Σχέθειν, quod apud scriptores veteres σχεθεῖν scribi oportet, relinquendum huic poetae. DINDORF.